



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Imperatoris Constantini ad Alexandrinos epistola. Capvt. XXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

THEODOR. HISTOR.

*Imperatoris Constantini ad Alexandrinos epistola.*

CAPVT. XXVII

**I**Stas quidē res aperte declarat Imperatoris epistola, quam scripsit ad ecclesiam Alexandrinam: cuius partem extremam in hanc nostram historiam includere non incommodum existimaui. Improbiorum hominum male uoletia vestro episcopo, mihi credite fratres, nihil omnino nocere potuit: quorum studium huc solum spectabat toto ut aetatis tēpore in eiusmodi maleficiis, consumpto cōtritoq; nullus ipsis in hac vita relinqueretur pœnitentiæ locus. Itaque uobis ipsi sitis adiumento: illud amplexamini, quod amorem possit inter vos conciliare: omnibus viribus eos insectamini, quibus in optatis est mutuā inter vos concordiam extinguere. Atque ad Deum oculis mentis uestræ coniectis, uos uestramq; salutem amate. Ipse equidem uestrum episcopum Athanasium lubens ad me admisi: sicq; eum affatus sum, ut hominem (quemadmodū mihi persuadeo) qui Deum sancte religioseq; colit.

*Altera aduersus Athanasium structa fraus.*

CAPVT XXVIII.

**A**T ne sic quidem impios Arianos puduit, sed aliam talem deintegro texere fabulam aggressi sunt, qualem nemo veterum tragicorum comicorum uē aliquando effinxerit. Nam accusatoribus ex sua ipsorum factione ductis, eos deducunt ad imperatorem. Illi clamant Athanasium virtutis athletam multa infanda scelera consciuisse. Horum causam tutatus est Eusebius Theognis, & Theodorus Perinthius (Perinthus autem hoc tempore Heraclea nominatur) dicunt istas res adeo indignas intollerabilesq;, ut hominum aures eas audire refugiant. Proinde persuadent Imperatori, ut Cæsariæ Palæstinæ (ibi enim complures erant Athanasio infesti) concilium conuocetur, iuberetq; in ea vrbe iudicium de Athanasio exerceri. Imperator autem illis, utpote sacerdotibus obsecutus (siquidem ignorabat penitus fraudulentos eorum conatus) quod postulauerāt, fieri mandauit. Verū sanctus Athanasius, intellecto iudicium odio, ad concilium non uenit. Ariani igitur, anfa  
inde ad